

Miris modis deformatae sunt adhuc M. Cornelii Frontonis reliquiae: etsi homines et ingenii et doctrinae laude praestantissimi multum ad eas emendandas operae contulerunt. Equidem, cum olim in hunc scriptorem, nescio quo casu, incidissem, inter legendum haud pauca animadverti, de quibus dubium mihi non erat, quin et vitiose legerentur, et tuto ac facile sanari possent. Eorum partem dudum per hanc proludendi opportunitatem indicavi; quae reliqua sunt, nunc in medium proferam, si quid forte in iis inerit, quo futuri editoris labor minuatur.

Epist. ad M. Caesar. lib. I. 1. p. 1. ed. Rom. alt. *Quid ego ista mea fortuna satis dixerim, vel quomodo istam necessitatem meam durissimam condigne in-cusavero, quae me istic ita animo anxio tantaque sollicitudine praepedito alligatum attinet.* Heindorfio post *satis* excidisse videtur *digne*; quod quam in-venustum sit et languidum, nemo, opinor, non sentit. Scribendum est pro-cul dubio: *Qui ego ista mea fortuna satis doluerim.* In extrema epistola Caesar pro salute magistri sui Deos ita precatur: *O qui ubique estis Di boni, valeat, oro, meus Fronto iucundissimus atque carissimus mihi, valeat semper integro, inlibato, incolumi corpore, valeat et mecum esse possit.* Vix opus est, ut moneam, corrigendum esse: *ut mecum esse possit.*

Ibid. Epist. 2. p. 3. *O me beatum! ort commendatum.* Quae Eich-stadius huius lacunae explendae pericula fecit, ea Niebuhrius rectissime censet nullo modo admitti posse. Nec tamen probabilius est, quod ipse excogitavit: *O per te Diis commendatum.* Scribe: *O me beatum, ore tuo Dis commenda-tum!* Exultat quippe Fronto seque beatum nuncupat, quod Caesar ipse a Diis

precatus est, ut recuperaret sanitatem. Mox idem: *At ego nihil quidem malo quam amoris erga me tui nullam extare rationem. Nec omnino mihi amor videtur, qui ratione oritur, et iustis certis de causis copulatur.* Heindorfius coniecit *iustis ac certis.* Eichstadio vocabulum *certis* prorsus delendum videtur. Neuter recte. Corrige: *et iustis certisque de causis copulatur.* Ob similitudinem alterius particulae excidit *que*, quod olim *ge* vel *ce* scribebatur. Vid. Niebuhr: ad Cic. Fragm. p. 76.

Ibid. Epist. 3. p. 6. *Accipe nunc perpaucula contra Somnum ad tua pro Somno. Quamquam, puto, praevaricor, qui assidue diei ac noctis Somno adsum, neque eum desero, neque deserat; adeo sumus familiares.* Lacunam Maius complet hoc modo: *neque ille me deserat.* Ego malim, quod constructio videtur exigere: *neque ab illo deseror.* At hoc leve est, praeterea quod paullo post sequitur: *Transeo nunc ad Q. Ennium nostrum, quem tu ais ex somno et somnio initium sibi fecisse. Sed profecto nisi ex somno suscitatus esset, nunquam somnium suum narrasset.* Fallor, aut sibi librarii compendio debetur: quo diducto, quemadmodum oportet, tota sententia lucem nanciscetur suam. Lege: *quem tu ais ex Somno et somnio initium scribendi fecisse.* De Pythagoreo isto Ennii somnio egregie, ut alios mittam, Scaliger ad Varron. L. L. IV. p. 39. Bip.

Ibid. Epist. 4. p. 10. *Enimvero omnia istaec inter Graecos versus Latina ita scite alternata sunt a te et interposita, ut est ille in pyrricha versicolorum discursus, quom amicti cocco alii, alii luteo et ostro et purpura, alii aliique coherentes concursant.* Mendum, quo postrema gravissime depravata sunt, ita corrigendum puto: *alii alio denique colore inter se concursant.* Sententiam hic vides, opinor, qualem scriptoris mens postulat; et verba ipsa vestigia depravatae scripturae quam possunt proxime sequuntur. Iam pergite: *Ecce autem circa Ennium aliam malitiosam peltam dedisti, cum ais: „nisi ex somno suscitatus esset, nunquam somnium suum narrasset.”* Quod Heindorfius pro *peltam* reponi iubet *plagam*, vulgata lectione nihilo tolerabilius est. Maius in schedis, a se iterum inspectis, litteram *l* dubiam esse testatur. Quo magis adducor,

ut a Frontone sic scriptum suspicer: *malitiosam interpretationem dedisti.* Solebant antiquitus *inter*, ut vel ex Gaii Indice constat, tali compendio scribere, ut nullo negotio a praecedente littera *m* exteri posset. Ceterum ipse Cicero de Off. I. 10. 8.: *malitiosa iuris interpretatione.*

Epist. ad M. Caesar. lib. II. 1. p. 33. *Quae sint aures hominum hoc tempore, quanta in spectandis orationibus elegantia, ex Aufidio nostro scire poteris: quantos in oratione mea clamores concitarit, quantoque concentu laudantium sit exceptum: „omnibus tunc imago patriciis pingebatur insignis.”* Male ista cohaerent. Corrige: *Quae sunt aures hominum hoc tempore; quanta in spectandis orationibus elegantia! Ex Aufidio nostro scire poteris, quantos etc.*

Ibid. Epist. 4. p. 47. *Antoninum vero ut solem, ut diem, ut vitam, ut spiritum amo, diligo, amari me ab eo sentio. Hunc nisi ita laudo, ut laudatio mea non in actis senatus abstrusa lateat, sed in manibus hominum oculisque versetur, ingratus sum etiam adversus te. Tum, quod cursorem fugitivum ferunt dixisse: domino sexagena currebam, mihi centena, ut fugiam, curram: ego quoque quom Hadrianum laudabam, domino currebam; hodie autem mihi curro, mihi, inquam, meoque ingenio hanc orationem conscribo. Mirum vero, Frontonem non addidisse, qui fieri posset, ut adversus Marcum Caes. ingratus esset, nisi impensius laudato Imp. Antonino, Scilicet ea, quae sequuntur, manifesto ostendunt, plane ineptam esse Marci commemorationem. Lege: *ingratus sum etiam adversus me. Nam quod cursorem fugitivum ferunt dixisse etc.**

Ibid. Epist. 9. p. 54. *Caelum Neapolitanum plane commodum, sed vehementer varium. In singulis scripulis horarum frigidius aut tepidius aut horridius fit. Iam primum media nox tepida, Laurentina; tum autem gallicinium frigidulum, Lanuvium; iam conticinnum atque matutinum atque diluculum, usque ad solis ortum, gelidum, ad Algidum maxime; exin ante meridiem apricum, Tusculanum; tum meridies fervida, Puteolana. At enim, ubi sol latum ad Oceanum profectus, fit demum caelum modestius, quod genus Tiburtinum. Id vespera et concubia nocte, „dum se intempesta nox, ut ait M. Porcius, prae-*

cipitat," eodem modo perseverat. Niebuhrius, in voc. *latum* aliquid vitii subesse intelligens, coniecit *latet*. Codicis lectioni Heindorfius patrocinari conatur, his verbis: „*latum* hoc opponitur proximo Neapolin mari, in portum variosque inter insulas sinus incluso; *Oceanum* autem dixit iuvante visum imaginatione, quatenus, quod ibi procul conspicitur, *latum* soloque caelo terminatum mare, contiguum tamen est Oceano, in quem mergitur sol." Vide, quam pusilla corruptela oculatissimis etiam hominibus tenebras offundat. Unius litterulae mutatione locus integer fiet, ut sit: *ubi Sol lotum ad Oceanum profectus*. Illud quoque monebo, pro *conticinnum*, quod praecedit, scribendum esse *conticinium*. Vid. Varron. L. L. VI. 7. VII. 76. Censorin. D. N. c. 24.

Epist. ad M. Caesar. lib. III. 3. p. 65. *Periculum est plane, ne tu quicquam pueriliter inconsulte suadeas.* Legendum est: *pueriliter et inconsulte*. Sequitur: *Sive sit iste Herodes vir frugi et pudicus, protelari conviciis talem a me virum, non est verum; sive nequam et improbus est, non aequa mihi cum eo certatio, neque idem detrimentum capitur. Omnis enim cum polluto complexus, tametsi superes, commaculat.* Codex *detrimenu* habet, unde Maius *detrimentum* effinxit, speciosius, vereor, quam aptius. Quid enim? Ubi iudicio dimicatur, nonne is solus detrimento affici solet, qui causa cecidit? Qua ergo ratione Fronto, etiamsi timeret, ne ab Herode, homine improbo, superaretur, certamen cum eo ideo sibi cordi esse negaret, ne forte non idem caperet detrimentum? Immo periculum, ut ipse ait, non idem subeundum erat in certamine, quo, sive vinceret, sive vinceretur, scelesti quasi contactu pollueretur. Ut verbo dicam, emendandum est: *sive nequam et improbus, non aequa mihi cum eo certatio, neque idem discrimen suscipitur*. Paulo inferius, ubi legitur: *Si vero in his quoque remittendum aliquid putas: quod tu suaseris, id optimum factum ducam*, ibi neminem, qui quidem usum loquendi norit, dubitaturum opinor, quin scribendum sit: *id optimum factu ducam*. Vid. Bentlei. ad Terent. Andr. I. 5. 1.

Ibid. Epist. 7. p. 69. *Quom tu quiescis et quod commodum valetudini sit, facis, tum me recreas. Et libenter et otiose age. Sentio ergo recte fecisti,*

quod brachio curando operam dedisti. Postrema ita legi oportet: *Censeo ergo, recte te fecisse.* Res, de qua agitur, ad iudicium redit, non ad sensum vel intellectum. Vid. Heinrich. ad Cic. R. P. p. 184. Nec quod praecedit *libenter*, menti scribentis satis convenit, ut arbitror, etiamsi pro *hilariter* dictum sumatur. Malim: *Et clementer et otiose age*, id est, placide et comodo tuo. Plaut. Epid. II. 2. 20.: *Animo male est. A. Clementer requiesce.* Terent. Adolph. I. 1. 17.: *Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium secutus sum.*

Ibid. Epist. 8. p. 69. *Imaginem, quam te quaerere ais, meque tibi socium ad quaerendum et optionem sumis, num moleste feres, si in tuo atque in tui patris sinu id fictum quaeram?* Codex manu prima *futurum*; pro quo manus secunda, incertum *fictum* an *factum*, rescripsit. Mihi incidit suspicio, ex utriusque manus erroribus veritatem elici posse, hoc modo: *si in tuo atque in tui patris sinu efficturus quaeram.* Iam addit miram εἰκόνα; quam ego hic describam, uti legendum censeo: *Ut illa in mari Ionio sive Tyrrhenico, sive potius in Hadriatico mari, seu quod aliud est mare, eius nomen maris addito: igitur ut illa in mari insula Aenaria fluctus maritimos ipsa accipit atque propulsat, omnemque vim classium, praedonum, beluarum, procellarum ipsa perpetitur; intus autem in lacu aliam insulam protegit ab omnibus periculis ac difficultatibus tutam, omnium vero deliciarum voluptatumque participem: namque illa intus in lacu insula aequae undis alluitur, auras salubres aequae accipit, habitatur aequae, mare aequae prospectat: item pater tuus imperii Romani molestias ac difficultates ipse perpetitur, te tutum intus in tranquillo sinu suo socium dignitatis, gloriae bonorumque omnium participem tutatur.* Maius periodum pessime ter truncatam dedit; et quod correxi sive potius, scriptum apud eum *sin vero potius* legitur, errore manifesto.

Ibid. Epist. 12. p. 75. *Duas per id tempus epistolas tuas accepi.* Emendo: *Duas per idem tempus.* Vitii origo in promptu est.

Epist. ad M. Caesar. lib. IV. 1. p. 90. *Invidia perniciosum inter homines*

malum maximeque internecivum, sibi aliisque pariter obnoxium; sed si procul a cohorte tua prohibueris, uteris amicis concordibus et benignis, ut nunc uteris; sin aliqua pervaserit, magna molestia magnoque labore erit restinguendum. Et vis sententiae et orationis tenor nos iubent reponere: id si procul a cohorte tua prohibueris.

Ibid. Epist. 3. p. 96. *Verum, ut initio dixi, magnum in ea re periculum est, ne minus apte aut parum dilucide aut non satis decore aut a semidocto conlocetur. Namque multo satius est vulgaribus et usitatis, quam remotis et requisitis uti, si parum significet. Vitium hic duplex, etsi levius, haeret. Scribe: non satis decore, ut a semidocto, conlocetur. Et mox: si parum significant, scil. verba, de quibus et eligendis et collocandis prudenter hac ipsa epistola praecipit.*

Epist. ad M. Caesar. lib. V. 4. p. 118. *Cras me de hoc verbo tibi, si admonueris, defendam.* Verba sunt M. Aurelii ad Frontonem, qui ipsum castigaverat, nec immerito, quod voc. *dictia* pro oratione usus esset. Sed male me habet, quod ait: *si admonueris.* Repono: *si ad me veneris.*

Ibid. Epist. 7. p. 119. *Ludis tu quidem; at mihi peramplam anxietatem et summam aegritudinem, dolorem et ignem flagrantissimum litteris his tuis misisti, ne cenare, ne dormire, ne denique studere libeat. Mihi non dubium est, quin M. Aurelius dederit: litteris his tuis inussisti.*

Ibid. Epist. 8. p. 119. *Ego dies istos tales transegi. Nihili est tales.* Scribe: *Ego dies istos male transegi.* Iam refert, quid sibi mali acciderit.

Ibid. Epist. 9. p. 120. *Quom te salvom et illaesum Dei praestiterunt, maximas deis gratias ago.* Emendo: *Quod te salvom et illaesum Dei praestiterunt, maximas eis gratias ago.*

Ibid. Epist. 10. p. 120. *Modo mihi Victorinus indicat, Dominam tuam*

magis valuisse quam heri. Vix Latinum puto, hoc certe sensu, *magis valere*, quamvis dicatur *minus valere*. Praeterea offendit, quod *valuisse* de re praesenti dicit. Codex habet *maluisse*. Legendum: *magis caluisse quam heri*. Caesar Epist. 11.: *Caluit et hodie Faustina; et quidem id ego magis hodie videor mihi deprehendisse.* In postremis Fronto ait: *Cras tamen mane domum ad te veniam. Eadem, si tempestivum erit, etiam Dominam visitabo.* Maius ad Eadem adscripsit: *Die scilicet.* Perperam. Subintellige *opera*. Vid. Faern. ad Terent. Heaut. II. 3. 127.

Ibid. Epist. 16. p. 122. *Quom tibi etiamtum cervices doluerint, quo mihi scriberes, non possum aequo animo ferre.* Scripsit: *Quod tibi etiamtum cervices doluerint, quom mihi scriberes.*

Ibid. Epist. 22. p. 123. *Materiam misi tibi: res seria est. Consul populi Romani, posita praetexta, manicam induit, leonem inter iuvenes quinquatribus percussit, populo Romano spectante. Apud Censores expostulat.* Διασκευάσων, ἀξήσων. Intelligi nequit, quod Maius edidit *expostulat*. Scripsit: *expostulatur*. Ita Fronto Epist. 27., simile declamandi argumentum Caesari mittens: *Ob eam rem a Censoribus notatur.*

Ibid. Epist. 23. p. 124. *Quando id factum? et an Romae? Num illud dicis in Albano factum sub Domitiano? Praeterea in hac materia diutius laborandum est, ut factum credatur, quam ut irascatur.* Ἀπίδατος ὑπόδεσις videtur mihi, quod plane baluceis, qualem petieram. Ultima verba, quae ita depravata sunt, ut, quid sibi velint, primum intuenti ne suspicari quidem liceat, ego mihi ad sensus integritatem ita videor reduxisse: *Praeterea in hac materia diutius laborandum est, ut factum credatur, quam ut augeatur.* Ἀπίδατος ὑπόδεσις videtur mihi, non ubi clamare liceat, qualem petieram. Pro absurdo *irascatur Aurelium augeatur* dedisse, liquido apparebit, si reputaveris, id rescriptum esse epistolae praecedentis, qua Fronto, postquam declamandi materiam elaborandam proposuit, haec addit: *διασκευάσων, ἀξήσων.* Ipse Fronto de Eloquent. p. 230. Rom.: *Num*

contentus est docere, rem ostendere, definire, explanare? Non est contentus, verum auget in quantum potest, exaggerat, praemunit, iterat, differt, recurrit, interrogat, describit, dividit, personas fingit, orationem suam alii accomodat; ταῦτα δ' ἐστὶν αὐξεῖν, διασκευάζειν, etc. Add. Ernesti Lex. Rhet. Lat. p. 19. Alterius corruptelae remedium, non ita quidem lene, at satis, ut arbitror, salutare, petii ex Epist. 28.; quae, tempus si quaeris, scripta est ante Epist. 22. Ibi M. Caesar ad Frontonem: *Volebam aliquid, ubi clamari debeat, scribere. Fave mi, et quaere clamorosa ὑπόθεσιν.* Singula, quae sive librarius sive Maius varie aberrando peccaverint, cum harum rerum peritis facile sit intelligere, curiosius persequi taedet.

Ibid. Epist. 29. p. 126. *Perendie, Domine, te videbo: sum enim adhuc a cubito et cervice infirmus. Ferme, obsecro, nimia et ardua a te postulantem ita in animum meum induxi posse efficere quantum contenderis.* Hic novo accidit exemplo, quod, dici vix potest, quoties veterum scriptorum nitore offuerit, ut, cum syllabae, quas dirimi oporteret, prave coniunctae essent, sensus omnis evanesceret. Quid quaeris? Scribendum est lenissima mutatione: *Fer me, obsecro, nimia et ardua a te postulantem. Ita in animum meum induxi, posse te efficere, quantum contenderis.*

Ibid. Epist. 33. p. 128. *Quaecumque mihi prae in tua salute locata sunt: mihi sanitas, bona valetudo, laetitia, res prosperae meae ibi sunt, cum tu corpore, animo, rumore tam incolumi uteris, tam carus patri, tam dulcis matri, tam sanctus uxori, tam fratri bonus ac benignus.* Lacunam Maius perperam explevit: *praecari solitus sum.* Nempe respondet Fronto ad M. Aurelii epistolam proxime antecedentem, ubi haec leguntur: *Et nunc sanus, et deinceps validus, laetus, compos omnium votorum agas diem natalem, mi magister.* Quare reponendum: *Quaecumque mihi precatus es, in tua salute locata sunt.*

Ibid. Epist. 40. p. 132. *Cholera usque eo adflictus sum, ut vocem amitterem, singultirem, suspirio tum agerer, postremo venae deficerent.* Emendavi:

suspirio tum angerer. In suspirandi difficultate *angi* locum habet, alterum non item. Vid. Gronov. ad Liv. V. 48.

Ibid. Epist. 49. p. 135. *Quom salubre tibi est facile progredi, tunc et nobis conspectus tuus erit iucundus.* Legendum: *Quum salubre tibi est et facile progredi.*

Ibid. Epist. 57. p. 138. *Iam habeo, quod primum et praecipuum desiderabam: desisse febriculam colligo ex litteris tuis. Nunc, mi magister, quod ad fauces adtinet, brevi temperantia appelletur; et mihi at plenior nuntius veniet.* Sensum constare non credo, nisi *dolor* post *brevi* addatur. Quae praeterea insunt vitiosa, ea, ni fallor, optime tollentur, si totum locum ita resingas: *Nunc, mi magister, quod ad fauces adtinet, brevi dolor temperantia aspellatur, et mihi a te lenior nuntius veniet.*

Epist. ad Antonin. Imp. lib. I. 2. p. 243. *Seni huic et, ut tu appellas, magistro tuo bona salus, bonus annus, bona fortuna, res omnis bona.* Quae tu scribis, ea te mihi addis die tibi sollemnissimo natali meo praecatum. Omnia mihi ista in te tuoque fratre sita sunt, Antonine meo cordi dulcissime: quos ego postquam cognovi, meque vobis transdidi, nihil unquam prae vobis dulcius habui, neque habere possum, tametsi alios annos totidem de integro, quantum vixi, vivam. Locus, quantum coniiicio, incorruptus plane extabat in codice; sed Maius et distinxit male, et quae minus assecutus erat, emendandi studio pervertit. Certe molestum istud *addis* ipsi debetur. Codex habet *abdis*: quod si dissecueris, sponte haec sententia exit sanissima: *Seni huic et, ut tu appellas, magistro tuo bona salus, bonus annus, bona fortuna, res omnis bona.* Quod tu scribis, ea te mihi ab *Dis* die tibi sollemnissimo, natali meo, praecatum: omnia mihi ista in te tuoque fratre sita sunt etc. De praeposit. *ab* ante *Dis* posita vid. Bentleyi. ad Horat. Od. III. 16. 22.

Ibid. Epist. 3. p. 146. *Nimirum quisquam superiorum imperatorum: imperatoribus enim te comparare malo, ne viventibus compararem: quisquam illorum his figurationibus uteretur, quae Graeci schemata vocant? Ne longius re-*

petam, vel proximo senatu, cum Cyzicenorum gravem causam commemorares, ita orationem tuam figurasti, quam figuram Graeci παράλειψιν appellant, ut praetereundo tamen diceres et dicendo tamen praeterires. Maius, levioze vitio, quod est in voc. compararem, sublato, graviora reliquit. Primum imperatoribus rectum esse nequit, cum viventibus, tanquam contrarium, sequatur. Scribe: superioribus enim te comparare malo, ne viventibus comparem. Deinde quid est causam commemorares? Sermo est de terrae motu, quo Cyzicus urbs graviter concussa est. Vid. Reimar. ad Dion. LXX. 4. §. 18. Hinc perspicuum est, Frontonem scripsisse: cum Cyzicenorum gravem casum commemorares. Denique uncis includenda sunt, ut alienae manus: quam figuram Graeci παράλειψιν appellant. Haec idem, opinor, adscripsit in margine, cuius scholia nonnulla in Frontonem extant. Paulo infra sequitur: Deinde ita breviter rem omnem atque ita valide elocutus es, ut paucissimis verbis omnia, quae res posceret, continerentur, ut non ocius aut vehementius terra urbem illam, quam animos audientium tua oratio moverit. Ecquid agnoscis formam sentire tullianae? ut non ocius aut vehementius terra urbem illam quam animos audientium tua oratio moverit. Postrema Maio repetita e praecedentibus videntur librarii errore. Nihil vidi magis. Verba aptissima sunt, modo scribatur: Ecquid agnoscis formam sententiae Tullianae: „ut non ocius aut vehementius terra urbem illam, quam animos audientium tua oratio moverit?“

Epist. ad Verum Imp. 12. p. 196. Quantum, oro te, fuit, ante mihi significare, te ad fratrem meum . . . esse, velle me quoque visere, postremo redire me iubere, uti confabularemur. Heindorfius resarcire locum tentabat, legendo: te ad fratrem meum esse velle, velle me etc. Vereor, ut probabiliter. Putem sufficere: te ad fratrem meum venturum esse.

Epist. ad Amicos lib. I. 3. p. 275. Commendandi mos initio dicitur benivolentia ortus, cum suum quisque amicum alii amico suo demonstratum conciliatumque vellet. Paulatim denique iste mos progressus est, ut etiam eos, qui publico vel privato iudicio disceptarent, non tamen improba res videretur iudicibus ipsis, aut iis, qui consilio adessent, commendare: non, opinor, ad iusti-

tiam iudicis labefactandam, vel de vera sententia deducendam; sed iste in ipsis iudiciis mos inveteratus erat, causa perorata, laudatores adhibere, qui id, quod de reo existimarent, pro sua opinione cum fide expromerent. Item istae commendantium litterae laudationis munere fungi visae sunt. Haec arena est sine calce, quod aiunt. Omnino legendum: Paulatim denique iste mos progressus est, ut etiam eos, qui publico vel privato iudicio disceptarent, nec tamen improba res videretur, iudicibus ipsis aut iis, qui consilio adessent, commendarent; non, opinor, ad iustitiam iudicis — deducendam; sed ut iste in ipsis iudiciis mos inveteratus erat — adhibere, qui — expromerent, item istae commendantium litterae etc.

Ibid. Epist. 7. p. 280. *Iulium Aquilinum, virum, si quid mihi credis, doctissimum, facundissimum, philosophiae disciplinis ad optimas artis, eloquentiae studiis ad egregiam facundiam ex iure eruditum, commendo tibi quam possum studiosissime.* Niebuhrius pro *ex iure* reponi vult *eximie*; quo nihil, si quid sentio, dici possit otiosius, praecedente *egregiam*. Vide, num ipse melius quid afferam. Legendum conieci: *eloquentiae studiis ad egregiam facundiam ex tempore eruditum*. Intelligit extemporalem illam dicendi facultatem, quam Quintilianus ipse X. 7. 1. ait, maximum studiorum fructum esse ac velut praemium quoddam amplissimum longi laboris. Librario fraudem fecit, quod *tempore* scriptum vidit *tpre*, quo compendio etiam in editionibus veteribus nonnunquam exhibetur. Paulo infra perperam legitur: *Perspicies pro tua prudentia intelligentiaeque summa maiorem fama, luculentissimum verborum apparatu, maxima frequentia sententiarum.* Scripsit: *maiorem fama luculentissimo verborum apparatu* etc. Res aperta est, ut opinor.

Ibid. Epist. 14. p. 286. *Figurae orationis sunt, quae maxime orationem ornant. Duplex autem genus est figurarum; aut enim verborum figurae sunt aut sententiarum. In figuris verborum est τρόπος metaphora. Hac figura usus sum, cum figuram dixi de corpore, in quo neque sincerus, neque aqua pura, neque ullus humor liquidus, sed ita, ut in palude, corrupta omnia.* Pulchre Niebuhrius emendandum vidit: *neque sanguis sincerus.* Periit vox media, ut

cēnties alibi librariorum peccasse constat, propter similis verbi viciniam. Minus feliciter Heindorfius alteram huius loci corruptelam tentavit. Nam cum is, in malo illo *figuram* merito offendens, verbum requisivisset, quo per metaphoram corruptum penitus aegroti hominis corpus significaretur: utrum *sentinam* legendum esset, an *vomicam*, lectorum scilicet iudicium fecit. Mihi neutrum videtur. Repono, ipso Frontone suadente; *Hac figura usus sum, cum paludem dixi de corpore.*

Ibid. Epist. 17. p. 289. *In Oratione Bithyna, cuius partem legisse te scribis, multa sunt nova addita, ut arbitror, non ut inornate: locus in primis de acta vita, quem tibi placitum puto, si legeris, quod in simili re M. Tullius pro P. Sylla egregie scriptum reliquit.* Maius, cum part. *ut ante inornate* nonnihil difficultatis habere sensisset, pleonasmum somniabat; mox tamen scribendum suspicabatur: *non ita inornate.* Inane hoc; nec plus prodest Heindorfii coniectura: *non, ut arbitror, inornate.* Nempe latius hic depravatio serpsit, ac mihi plane persuasi, ita verba de Frontonis manu exisse: *multa sunt nova, at dicta, ut arbitror, non inornate, ut locus in primis de acta vita.*

Ibid. Epist. 23. p. 293. *Quamobrem, quamquam recuperata sit commoda valetudo, tristitia tamen inhaeret animo meo, magisque in dies augetur moerore Lupi nostri, fratrem optimum misere desiderantis. Quom praesentem ac loquentem vix consolaber, sentio, quam sit difficile, te absentem per litteras consolari.* Quod Heindorfius legendum coniecit: *Quem quum praesentem ac loquentem vix consoler,* id, me quidem iudice, nequaquam perpurgando loco sufficit. Nam *loquentem* mirum quam inepte de moerente ipso dicitur. Eius loco vocabulum potius expectaveris, cui sequens *per litteras* respondeat. In promptu est unice vera correctio: *Quem quum praesentem alloquendo vix consoler* etc. De verb. *alloquendi* vid. Muret. V. L. II. 4.

Princip. Histor. p. 314. *Macedonum spes, torrentis modo magna vi ortae, brevi die occiderunt: quorum unius humanae proles aetate imperium extinctum*

est. Niebuhrius recte quidem *opes* pro inepto *spes* legendum coniicit; sed quid, quaeso, est *brevi die*? Emendo: *brevi dein occiderunt*.

Laud. Fum. p. 325. *Aliter in orationibus iudiciariis, ubi sedulo curamus, ut pleraeque sententiae durius interdum et incautius finiantur. Sed contra istic laborandum est, ne quid inconcinnum vel hiulcum relinquatur; quin omnia, ut in tenui veste, oris detexta et revimentis sint cincta.* Quis Frontonem adeo ineptire credat, ut in iudiciali causarum genere se admodum laborare dicat de *incautius* finiendis sententiis? Procul dubio scripsit: *ut pleraeque sententiae durius interdum et incomtius finiantur*. Siquidem plures olim oratores in asperitate quadam dicendi et inornata compositione sibi placebant: quod cum aliunde constat, tum ex Senec. Epist. 114. Utrumque vocabulum coniunxit etiam Quintilian. VIII. 6. 65.: *rectum erat, sed durum et incommum*.

Laud. Negleg. p. 328. *Namque negligentiae haud quisquam magnopere insidias locat, existimans, etiam sine insidiis semper et ubique et ubi libeat negligentem hominem in proclivi fore fallere: adversus diligentes vero et circumspectos et exsultantes opibus fraudes et captiones et insidiae parantur.* Offendat necesse est in verb. *exsultantes opibus*, quisquis accurate legere didicit. Nihil enim in iis inest, quod negligentiae sit contrarium, quale hoc loco desideratur. Cui incommode facile medebitur coniectura nostra: *excubantes opibus*. Simillime Lucan. IX. 909.: *Nec solum gens illa sua contenta salute, Excubat hospitibus*, id est, pro hospitibus. Vid. Markland. ad Stat. Sily. II. 7. 130.